

hac re ut supra interfuerunt testes Jacobus, & filii

Eodem anno, & mense XII. die intrantis decembris in castro Uguadae D. Willelmus, & D. Ma. (Manfredus) & D. Conradus marchiones de Bosco D. Jacomæ recipienti nomine monasterii prædicti S. Mariæ de Banno dederunt, absoluerunt, & refutaverunt omnia jura, omnesque actiones, quæ & quas habere, atque petere possent in prædicta venditione occasione feudi, aut alia quacumque ratione promittendo prædicta omnia omni tempore rata, & firma per se, suosque heredes, & tenere, nec magis contrahere, vel venire obligantes eidem monasterio pignori omnia sua bona habita, & habenda, & mihi hanc cartam fieri rog., ut supra & si aliquid deficeret de jure, vel de facto semper possit meliorari pro consilio sapientum. Interfuerunt testes D. Jacobus pastor, Girardus Albarola, Albertus de Miribello. Ego Anselmus Not. Sac. Pal. rog. hanc cartam tradidi, & scripsi.

*Præceptum potestatis Aquensis Manuelli
Marchioni Ponzone.*

190

MCCXXXV.

Anno Domini MCCXXXV., indictione VIII., die Dominico XXIII. decemb. in Spigno Obertus Bisatius Nuntius constitutus a D. Sighibauda de Busto Aquensi potestate dixit, & amonuit D. Manuelem marchionem de Ponzone ex parte dicti Potestatis, & communis Aquis, ut ipse hinc ad octo dies proxime venturos debeat mittere partem suam fodri sub pœna quarti, & ad eundem terminum ipse debeat se repræsentare coram D. Potestate ad faciendum suum sequimentum, & illud, quod facere debet communi Aquis sub tali banno, & pœna, quam dictus potestas ei voluerit extorquere. Ad quas admonitiones D. Manuel noluit respondere. Unde dictus Obertus rogavit inde cartam fieri. Interfuerunt Arro Mussus Antioche, Petrus de Cassinis testes rogati. Ego Anselmus Not. S. Pal. hanc cartam rogatus scripsi.

Aliud Alberto Marchioni de Ponzone.

191

MCCXXXV.

Anno Domini MCCXXXV., indictione VIII., die Dominico XXIII. decembris in Spigno. Obertus Bisatius Nuntius constitutus a D. Sighibauda de Busto Aquensi potestate dixit, & amonuit D. Albertum marchionem de Ponzone ex parte dicti Potestatis, & communis Aquis, ut ipse hinc ad usque octo dies proxime venturos debeat mittere partem suam fodri sub pœna quarti, & ad eundem terminum ipse debeat se repræsentare coram dicto Potestate ad faciendum suum sequimentum, & illud, quod facere debet communi Aquis sub tali banno, & pœna, quam dictus Potestas ei voluerit extorquere. Ad quam admonitionem dictus D. Albertus respondit, quod bene faciet illud, quod facere deberet. Unde Obertus rogavit mihi cartam fieri. Interfuerunt D. Jacobus de Ponzone, D. Henricus,

& Rainaldus de sancto Nazario testes rogati. Ego Anselmus Notarius Sacri Palatii hanc chartam rogatus scripsi.

Aliud Jacobo Marchioni de Ponzone.

MCCXXXV.

192

Anno Domini MCCXXXV., indictione VIII., die Dominica XXIII. decembris in Spigno. Obertus Bisatius Nuntius constitutus a D. Sighibauda de Busto Aquensi potestate dixit, & amonuit D. Jacobum marchionem de Ponzone ex parte dicti Potestatis, & communis Aquis, ut ipse hinc ad octo dies proxime venturos debeat mittere partem suam fodri sub pœna quarti. Unde rogavit dictus Obertus cartam fieri. Interfuerunt Raynaldus de sancto Nazario, Bastardus Raymundi de Ponzone testes rogati. Unde Anselmus Notarius Sacri Palatii hanc chartam rogatus scripsi.

Confirmatio pactorum inter Albertum, Jacobum, Henricum, & Manuelem Marchiones de Ponzone, & Aquenses.

MCCXXXVI.

193

Anno Domini MCCXXXVI., indictione IX., die Dominico 20. Madii (1) in refectorio Canonice Aquensis in pleno consilio de Aquis habito per campanas D. Albertus marchio filius quondam D. Pontii, & D. Jacobus, & D. Henricus filii quondam D. Petri Marchionis de Ponzone, & D. Manuel filius D. Henrici Marchiones de Ponzone promiserunt, & juraverunt tactis sacrosanctis Evangeliiis consulibus Aquensibus Tilio Guertio de Pusterna, & D. Petro magistri Henrici, & D. Henrico Piperi recipientibus nomine, & vice communis Aquis attendere, & observare, & rata habere, & tenere in perpetuum per se, suosque heredes omnia pacta, & conventiones, cessiones, possessiones, donationes, & quasi possessiones, redditiones, & omnia instrumenta, jura, vel quasi jura, & confessiones, & ea omnia, quæ continentur in instrumentis existentibus inter prædictum Commune, & ipsos Marchiones, quæ & quas sui antecessores fecerunt, habuerunt, & dederunt proprio nomine, & tutorio, seu curatorio communi Aquis Consulibus, seu Rectoribus communis Aquis, vel alicui alii nomine communis Aquis. Insuper prædicti Marchiones dant, faciunt, & confirmant, & cedunt omnia ut supra, & specialiter conventiones, donationes, & confessiones, & dationes possessionis, & redditiones Ponzone, & totius suæ terræ factas per D. Henricum, & D. Pontium nomine suo, & D. Petri eorum consanguinei, cujus tutores se dicebant esse prout apparet per instrumentum factum per manum quondam Petri Notarii, cujus tenor talis est.

Anno Domine Incarnationis MCXCII., indictione X., die Dominico V. calendas octobris in capitulo Canonice de Aquis consilio pleno, & ideo congregato Domino Andrea Uberto Moizo, Jacobo Bocazio, Ugone Mantea, & sociis existentibus Consulibus D. Henricus, & Pontius Marchiones de